Quelle: https://manuscripta.at/?ID=933
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ex ortu canis liquescentibus nivibus et cum accessione xxx fluminum circa ravennam in
adriaticum mare defertur. Tiberis ytaliae fluvius a tiberino rege albanorum dictus appellatur
quod in eo fluvio cecidit et de exitu suo nomen dedit. nam antea albula antiquum nomen
a colore habuit quod nivibus albis sit. ipse est autem tibris quasi tiberis. sed tiberis in cotidia-
no sermone. tibris in usu dicitur. Danubius germaniae vocari fertur a nivium copia quibus magis fluvius
augetur. iste est qui in europa omnibus plus habet famam. idem et hister. quia dum per innumeras
vadit gentes mutat et nomen et maiores sibi bibendo colligit vires. Oritur enim a germanicis
iugis et occidentalibus partibus barbarorum per gentes contra orientem sexaginta in se fluvios
recipit. septem hostiis in pontum influit. Rodanus galliae fluvius ab oppido rhodo cogno-
minatus quem coloni rhodiorum vocaverunt. qui rapido certus cursu currit et aequoris fixa scindens
non modicum saepe navigantium facit periculum. dum inter se maris fluctus amnisque fluenta decer-
tant. Renus a rodani societate fertur vocatus. quia cum eodem ex una provincia oritur. Est autem ger-
maniae fluvius inter tres europae maximos fluvios reputatus. quia a iugo alpium usque in
occeani profunda cursus suos dirigit. Iberus amnis qui quondam totius hispaniae nomen
dedit. Mineus fluvius galliciae nomen a colore pigmenti sumpsit quod in eo plurimus inve-
nitur. Durius a gerius quasi drocius [dorícus]. Tagum fluvium cartago hispaniae nuncupavit ex qua
ortus procedit fluvius harenis auri fertilis [vel et] copiosus. et ab hoc ceteris fluviis [hispaniarum] spinarum praelatus.
Boetis fluvius qui et boeticae [betice] provinciae nomen dedit. de quo martialis. Boeti soli libiae fera [fer acum-] crin-
em redimite coronam auream. qui nitidis vellera tingis aquis. eo quod ibi lanae pulchro
colore tinguntur. Boetis autem dictus eo quod humili solo decurrat. Bethinin enim greci humi-
le et mersum vocant. Quaedam autem flumina in diluvio soluta mole terrarum perlusa sunt.
quaedam vero quae non erant abyssi e ruptis meatibus erumpunt. DE DILUVIIS.

xi. Diluvium dictum quod aquarum clade omnia quae inundaverit deleat. Primum dilu-
vium extitit sub noe quando hominum sceleribus offensus omnipotens toto orbe terrarum
deletis cunctis unum spacium caeli fuit ac pelagi. cuius indicium hactenus videmus
in lapidibus quos in remotis montibus conchis et ostreis concretos. saepe etiam cavatos
aquis visere solemus. Secundum diluvium fuit in achaia iacob patriarchae et ogygi temporibus
qui eleusinae [civitatis] rex et conditor fuit. nomenque loco et tempori dedit. Tertium in thessalia.